

fuerit occasio, relinque, teque studiis vel otio trade. Satius est enim, ut Attilius noster eruditissime simul et facetissime dixit, otiosum esse, quam nihil agere. Vale.

### IX. C. PLINIUS CALUISIO SUO S.

«Ridet vanitatem Circensium ludorum, et illorum tempus studii impedit.»

Omne hoc tempus inter pugiliares ac libellos jucundissima quiete transmisi. Quemadmodum, inquis, in urbe potuisti? Circenses erant; quo genere spectaculi ne levissime quidem teneor. Nihil nouum, nihil varium, nihil quod non semel spectasse sufficiat. Quo magis miror, tot millia viorum tam pueriliter idemtidem cupere currentes equos, inconsistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate eorum, aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla: nunc fauent panno, pannum amant: et si in ipso cursu, medioque certamine, hic color illuc, ille huc transferatur; studium favorque transibit, et repente agitatores illos, equos illos, quos procul noscitant, quorum clamitant nomina, relinquunt. Tanta gratia, tanta auctoritas in una vilissima tunica. Mitto apud vulgus, quod vilius tunica est; sed apud quosdam graves homines: quos ego quum recordor, in re inani, frigida, assidua, tam insaciabiliter desidere, capio aliquam voluptatem, quod hac voluptate non capiar. Ac per hos dies libertissime otium meum in litteris colloco, quos alii otiosissimis occupationibus perdunt. Vale.

### X. C. PLINIUS FUSCO SUO S.

•Quaerenti amico rationem exercendi stili praescribit. •

Quaeris, quemadmodum in secessu, quo jamdiu frueris, putem te studere oportere. Utile in primis, et multi praeci-